בג״ה

VIR REVERENDISSIME,

Parens in CHRISTO, Currus et Auriga Israëlis observande,

Quale sopor fessis, tales mihi obtigerunt redditæ, imò aureæ Tuæ literæ.
Quamvis enim amore illo, quo me abs TE, ô VIR DIVINE, coli sacratiores
hæ internuntiæ testantur, omninò indignum judicam; incredibile tamen est,
quantopere vetus dictum me affecerit: Vox Patroni, vox Dei. Nihil do auribus,
sed ex animo candidiore scribo, quæ scribo, me, si quid in vinea Domini Domi-
no fuerim operatus, id magnam partem Monumentis Tuis, quibus Ecclesiam or-
thodoxam pluribus ante me annis recreâsti, πάνυ ἀσυγκρίτως acceptum ferre. Ut
adeo in dies pene singulos Tecum loquens, in Tuos ruere amplexus sperare non
posse, nunc in tanto majore infelicitatis parte mihi ponam, quantò majore cœli
amplitudine à Tui videndi copia disterminor. Sed ecce! Audacem me
effecit epistolicus Tuus affatus, ut cogitarem de atrio nostri coadunandi stu-
dio, cui Deus ex alto aspiret! Priusquam autem istud, decentiorem præsta-
tus observantiam, eloquar, ob negotium Ædis ruinosæ Sultzbergensis, quod
VIR ἱερὸν Φαίεαρ ἐμῷ tetigere, tam paternè in TE recepisti, submissas
solidasque ante omnia gratias exsolvo. Servet! Servet! Te Deus, Sexage-
narii, credo, majorem, in senectutis canæ, vividæ et longissima tempora, ut
et ego pene sexagenarius amore, prece, et patrocinio Tuo longum perfrui queam.
Insignia in TE redundabunt præmia, si Ecclesia, cui circumflui Papistæ tan-
topere insidiant, Tua juvatur Curatelâ. Schediasmata Tua, nulli veterum
Martinorum secunda, Koelesius noster ex nundinis subinde Lipsiensibus ap-
portat, quo obstetricante et nos et Eberhardina Academia Theologi
iisdem, ceu deliciis vernalibus et autumnalibus, subinde pascimur. In
meo quidem agello nunc ob varias, quibus distringor, δυσχερείας exigua crescit
seges. Expectiam tamen mihi occasionem, qua nunc dilatam Philureâtum ope
limatiori et venerabiliori Tuæ censuræ aliquid repræsentare liceat. Regio
autem Academiæ Vestræ ex animo gratulor de expurgato vetere fermento
Pietistico. Nec verò ignorat fama, per ora virûm volitans, quantum Præsidio
Tuo, quantum Vigiliis, et quantum etiam Vindiciæ Tuæ debeat Alma illa
Pietatis minus fucatæ Officina. Quo nomine exotici, iidemque boni omnes, diu-

328v

turnam huic Tuo Moderamini atq; Auspicio felicitatem apprecantur. De Dn.
D. Pritio optabat nuperrime amicus, ut in directione Ministerii Franco-
furtensis, quam propediem occupaturus dicitur, sese in omnibus ad Tuum
componat Exemplum, et Philippismo, quem ibi etiamnum serpere putabat,
justo cum zelo resistat. Sed haec sub charitatis nostri pectore scripta sunto.
Heroicus noster Athleta, cujus nomen rosariis Paestanis ac thymo mihi dulcius
Hybla est, bella Domini masculè debellat. Ecquid audio? Vel Collegae exper-
tur adversitatem? Ita ergo vel nodi ex Cap. VI. Jos. ab orthodoxologis
pridem dissecti, renovantur. Poteramus carere his dividiis, si moniti mei
ora sequerentur. Sed jam delibatis favis Tuis literariis, VIRORUM
CELEBRATISSIME, viam quandam mei obsequii confidentius testificandi atq;
Te mihi pandi desidero. Commemoras enim, Dn. Collegam illum Tuum ad axio-
mata et curas Senioris Francofurtensis capessendas abitum meditari. Es-
set hic mihi filius, natu maximus, triginta quatuor annorum vir, jam Logi-
ces ac Metaphysices Professor Publicus et Verbi Divini Minister apud Nori-
bergenses, quo obsequentiorem, fideliorem, et, quod caput est, purioris doctri-
nae callentiorem zeloten vix ac ne vix quidem fueritis nacturi. Quodsi fata
commendatitias has meas adjuvarent, possent insignia penes vos illius speci-
mina Doctoratus. Antequam enim Norimbergam hinc vocaretur, circiter octo
Licentiatis Theologiae operam Opponentis et Examinatoris primarii navavit
in Actibus inauguralibus, cum Inspectoris Alumnorum Noricorum vice fungere-
tur. Specimina ipsius, in tribus Academiis per sedecim annorum interval-
lum edita, sunt multijuga. Jamdum d. 30 Martii 1698 praesedit Altdorffi
de Excommunicatione tympanitica Graecorum. Anno 1699 praesedit Witebergae d.
6 Maj. de Teletis paganicis. Anno eodem Jenae Adjunctura obtinuit,
d. 23 Nov. disputans de similitudine nostri cum Deo Platonico-Pythagorica.
Ibidem pro loco disputavit de Palingenesia Stoicorum. Admotus postea
ad Inspectoratum Altdorfinum emisit Fasciculum Scitilimentorum Acade-
micorum de Spectris et omnibus novientium. Praeterea, durante Inspectora-
tu praesedit hic de Subsultu veterum in fine precum, de fugâ in peri-
culo, aliisq; materiis utilibus. Fuit ante aliquot annos Competitor
Feustelii, vacante Ephoriâ Weidensi, nec non D. Feltneri, mortuo apud nos
D. Wegleitero. Jam Norimbergae statione isthac geminâ, Professoriâ et
Ministeriali, defungens, à re uxoriâ prorsus dum est immunis, ampliorem

ad officia sinceriori Ecclesiae mystanda viam expectat, et phaselum suam Deo, Custodi Israëlis non dormitanti, committit.) Da veniam, PATER IN CHRISTO Reverende, prolixitati huic meae, et sub spatio taciturnitatis, ac veluti sigillo confessionis effutienti haec talia benignius ignosce. Quod, si hanc fata viam abnuerent, alia quaedam sive Ephoria, sive honoratiori ministerii statio sub Epoptia Tua Generali itidem gratâ mente acciperetur. Quin, si vocatorias literas prius in manu haberet, posset vel apud nos axioma Doctorale, vel ad summum Licentiam, quam vocamus, modestè ambire atque deportare. Multa paucis: Viam regiam, TE DUCE ET AUTORE, si à Deo discesserimus, monstratam, sequeretur omnium promptissimè et obsequentissimè. Sed manum de tabula Harpocratis et Verecundiae concredita (?), plusquam Pythagorica. Vale, O ET PRAESIDIUM ET DULCE DECUS MEUM, O STELLA SIONIS ORTHODOXAE FULGIDISSIMA, O ANGELE FORTUNARUM MEI FILII, CLIENTIS TUI OMNIUM MULTO DEVOTISSIMI! Vale denuò, et ambitum harum literarum tam tardè obsignanti etiam atque etiam ignosce. Dab. Altdorfi Noricorum d. 21 May. MDCCXI.

REVERENDISSIMAE TUAE MAGNIFICENTIAE

cultor et admirator perpetuus

C. Sonntag D.

329v

9 – ℔

8 – 12 ℔ A Sa Magnificençe 2

Monsieur le Docteur Jean Fr. Mayer, Surintendant le Generale tres renommée, et Professeur de l'Academie de Grypswald premiere tres illustre ~~Franco~~ biß Grypswald,

franco Leipzig